11

AZZ
LLE III

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
C
1
NAPOLI

108

B

12

CONSTITVTIONES, ET DECRETA

Primæ Diœceſanæ Synodi in hac Lubrenſi Eccleſia celebratæ

Ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſs. Dño

DOMINO MAVRITIO CENTINO eiuſdem Eccleſiæ Maſſenſis Epiſcopo.



NEAPOLI,

Ex Typographia Octauij Beltrani M.DC.XXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

IN NOMINE SANCTISS. TRINITATIS Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Nos Fr. Mauritius Centinus Aſculanus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Eccleſiæ Maſſælubrenſis Epiſcopus in hac noſtra prima Synodo Diœceſana legitimè in Spiritu ſancto congregata, hæc quæ ſequuntur decernimus, & infallibiliter obſeruari mandamus.

Decretum I.

De Doctrina Chriſtiana.

TANTA eſt ad ſalutem; cuius meritò creati ſumus capeſſendam rudimentorum Chriſtianæ fidei, dignoſcendorum neceſsitas, vt hanc ſolam ob cauſam Seruator noſter ex ſuperno Cœlorum habitaculo in hanc infimam humanæ imbecillitatis ſeſe videatur immiſcuiſſe naturam nexu illo ter maximo, cuius, & Angeli ipſi deſiderant percepiſſe ſubſtantiam, hinc, & ſacræ teſtantur hyſtoriæ, miſſum eſſe Seruatorem in lucem gentium, vt ſit ſalus vſq; ad extremum terræ; Quapropter, & nos, meritis licèt imparibus Chriſti in erudiendis populis, Viceſgerentes, iuxta ſacros Tridentini Concilij canones ſeſſ. 24. cap. 4. de Ref. enixè pręcipimus, & ſtrictè mandamus, vt, quoniam non ſine maximo animi noſtri mœrore, percepimus in noſtra hac Diœceſi, non paruos prouectæ etiam, quam vocant ætatis, degere, Chriſtianæ acquiſitæ fidei penitùs ignaros, ſingulis Dominicis diebus, Parochi ſinguli noſtræ Paſtorali authoritate ſubiecti in Parochijs, à prādio, vel à veſperis, prout opportunitas feret temporis, ac loci, pueros, ac puellas Chriſtianis imbuant diſciplinis, doctrinæq; vt appellant, Chriſtianæ, rudimenta doceant, quod, & nos ipſi in Cathedrali, Deo iuuante, præſtabimus, inquè ſubiectis, præfixiſq; ruribus, ac Pagis, noſtram operam, quemadmodum in Domino confidimus Venerandæ Societis Ieſu Patres plurimum iuuabunt.

Decretum II.

De Feſtorum Dierum Cultu.

QVemadmodum propter ſe ipſum Deus hominem condidit, præceptore Auguſtino aſſerente omnia à Deo propter hominem condita, hominem verò propter Deum, ita inceſſanter is omni tempore Deo vinctus merito charitatis, ac fidei, à diuina numquam deberent laude ceſſare, dieſq; omnes in ſola diuinorum contemplatione, ac veneratione conſumere, recurrentibus præſertim ſingulis quibuſuè diebus Sanctorum multorum memorijs, qui non tàm vitæ exemplo, ac virtutibus, quàm vita in Domino functi interceſſione humanam exilitatem iuuant, quoniam tamen, & ipſe rerum Creator Dominus in mundi totius opificio, ſeptimo die dumtaxat requieuiſſe narratur, ſingulis etiam ſeptenis diebus ab omni opere ſeruili homines requieſcere, & in ſolum opificè aſpirare inſtitutum eſt, quod, & in certis etiam Redemptionis noſtræ myſterijs, & in præcipuis ſanctorum inſignium natalibus, Natalitia autem dicimus extremum mortalis Sanctorum vitæ diem, qui eſt futuræ beatæ vitæ initium quoniam ij, eo primum die naſcuntur feliciter in cœlis, quem primum claudunt in terris) ſeruandum ſacroſancta præcipit Eccleſia, vt ijs memoriæ Dei, ac Sanctorum ſacris frequentiori ſacrificio, pijſque actibus, & diuini nominis cultus augeatur, & quantum humana fragilitas patitur Sanctorum incaleſcat veneratio; & in Chriſtianum opus catholica pietas profundatur. Conſtitutionibus igitur Pij Papæ V. inhærentes diſtrictè mãdamus, vt feſtis infra notandis diebus vnuſquiſque à ſeruili, ac rurali opere abſtineat, ne emat, ne vendat, ne contractus in eat, ne officinas ad vendendum proſtituat, ne quicquam interdictum feſto die, operetur, contrauenientes, & anathæmatis pœna, & venalium rerum amiſsione, & iactura, & decem albæ cæræ librarum pœna irremiſibili puniturí, quæ etiam, & in ſupplicationibus generalibus ſeruãda decernimus; Ab hac tñ lege excipientes, quæ in diurnum victũ, & ægrotorum neceſsitate, & in res tempore perituras propendere videbuntur; nequa verò in pec-

candi licétiã ſubrepat ignorãtia, pręcipimus Parochis, vt inter Miſſarũ ſolẽnia dieb. Dominicis feſtos in qualibet hæbdomada dies, et quas vocãt vigilias promulgent; feſti aũt dies erunt. Sequentes.

Decretum III.

Ex precepto Eccleſiæ.

DIes Dominici omnes; Natiuitas Domini. Feſtum ſancti Stephani, ſancti Ioannis Euangeliſtæ, Circumciſio Domini; Epiphania, Purificatio, Annunciatio, Natiuitas, Aſſumptio Beatiſsimæ Virginis, ſancti Ioſeph Conf. Paſcha cum duabus ſequentibus, Aſcentio Domini, Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus, Trinitas, Feſtum Corporis Chriſti, Natalia duodecim Apoſtolorum, Inuentio ſanctæ Crucis; Natiuitas ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſanctæ Annæ Matris Beatiſsimæ Virginis, ſancti Laurentij Martyris; Dedicatio ſancti Michaelis Arcangeli; Feſtum omnium Sanctorum.

Decretum IV.

Ex precepto Superioris Synodi.

SAncti Thomæ Aquinatis, Viſitationis Beatiſsimæ Virginis, ſanctorum Cataldi, Eraſmi, et Conſtantij Patronorum, ſancti Ianuarij mart. ſanctæ Luciæ virginis, et Conceptionis Beatiſsimæ Virginis, Fabiani, & Sebaſtiani mart. fer. 5. In Cœna Domini.

Ex precepto præſentis Synodi.

FEſtum ſancti Franciſci de Aſsiſi Conf. 4. Octobris.

Feſta ex pietate, ſi qui voluerint celebranda.

SAnctorum Innocentium, ſancti Syluestri, donec ex decreto totius Eccleſiæ innoteſcat, Antonij Abb. Antonij de Padua, Apolloniæ virg. Agathæ virg. feria quælibet ſexta Martij, ſanctæ Catherinæ virg. & mar. ſancti Franciſci Xauerij, ſancti Bonauenturæ Epiſcopi, ſancti Caroli 4. Octobris; ſancti Ignatij Conf. 31. Iulij, Præſentationis Beatiſsimæ Virginis 21. Nouembris, ne quis verò

rudem

rudem populum inſcitiæ fomes irrumpat; ad meritum ſalutaris obedientiæ Parochis huiuſce rei tantæ ſpeculationem iniungimus; Hominum interim paupertati conſulentes, feſtum Beatiſsimę Virg. quod die 16. Augſt. celebratur, in feſtum Conceptionis B. Virginis die 8. Decēb. feſtumq; eiuſdē, quod die 17. eiuſdē menſis Aug. ex antiqua conſuetudine colitur in Dominicā infra octauā referimus.

Decretum V.

De Reliquijs, & veneratione Sanctorum.

VT Ieſu Chriſti Sanctorum, quos æterno ille præmio donat in Cœlis, deuoto obſequio memorias veneremur, in terris, vt qui pro nobis æterno Patri ſupplicationes ferunt, tanti, & nos beneficij memores, gratum rependamus obſequium, eorum corpora, quæ, vt ſacra monet Tridentina Synodus ſeſſ. 15. in veſtibulo ſeſsionis, viua fuerunt Chriſti membra, & poſtmodum à Deo glorificanda erunt, piè veneranda, præcipientes mandamus, vt in Eccleſijs in quibus aſſeruantur, natali ipſorum die, ornato pro facultate Altari Sanctorum ſacro, ſacrum de eis celebretur officium, inque eorum memoriam ſacrū litetur. Altaribus; excipientes, ſi quæ ſunt ſanctorum Reliquiarum, tantum numerum, vt nullus feriarum Eccleſiaſticarum remaneat locus, tunc enim temporis vnica die de omnibus officium fieri, & ſacrificium Deo offerri, ſub ſanctorum plurimorum, ſiue martyrum, ſiue confeſſorum, prout Reliquiarum preſe ordo feret, in Eccleſijs, vbi aſſeruantur præcipimus.

Et vt Beatiſsimæ Virginis Patronæ, cuius merito beneficia fluere ſperamus è cœlis, in dies magis veneratio, & pius in fideles cultus effluat, mandamus Clericis, & Canonicos Cathedralis noſtræ in Domino rogamus, vt Inſtitutum noſtrum ſolemniter Lytanias Sabbatis ſingulis, hora vigeſima ſecunda decantandi à Completorio, perpetuò retineant, quod ſeruaturos, etiam in Eccleſijs Ruralibus, Parochos omnes in Deo confidimus.

Laudabile ſuperioris Synodi inſtitutum, quo Clericos omnes noſtræ Diœceſi ſubiectos, vnà cum Canonicis, & Parochis ad Cathedralem noſtram conuenire, iubetur, die Viſitationis Virginis

ſacro

ſacro,qui eſt Cathedralis eiuſdem titulus, eiſdem pœnis, & maioribus ad noſtrum arbitrium confirmamus, & ad laicos etiam præceptum idem, ſub ſanctæ obedientiæ merito extendimus, itaut ſaltim ex qualibet domo, vnus eò confluere teneatur; deq; veteri Ciuitatis inſtituto mandatũ idem pro die Epiphaniæ Dñi ad Clericos oẽs deuoluimus, nõ diſsimili pęna contraueniẽtes mulctaturi.

Decretum V I.

De ſuplicationibus, ſiue Proceſſionibus.

AEquiſsimum eſt, quemadmodũ toties hucuſque productum Concilium monet, vt grati animi ergò ſingularem Chriſti Domini, qui pro nobis, debitum Patri propria morte ſoluere dignatus eſt, victoriam, ac triumphum inſtitutis ab Eccleſia ſupplicationibus celebremus, quibus prope diẽ, nouos ex præfata morte emanare prouenctus confidimus; Quò circa Clericis omnibus, noſtræ curæ ſubiectis, ſtrictè præcipimus, vt ſtatutis ſupplicationũ diebus,ſummo mane ad Cathedralem conueniant, vnde originem trahit ſupplicatio,eamque in itinere deuotè,ac reuerenter, vel Lytanias Sanctorum,vel preces pro qualitate ſupplicationum iterando proſequantur, donec ad Cathedralem reuerſi, noſtram benedictionem percipientes,reuertantur ad propria, A quibus generalibus ſupplicationibus non eximantur Regulares, & Clerici,quamuis exempti, dummodo beneficijs, quantumuis ſimplicibus in hac Dioeceſi potiantur, Contrauenientes verò trium ducatorum poena puniantur, pijs locis ad arbitrium noſtrum applicandorum, poeniſque alijs,prout rerum feret euenctus, exemptos autem Regulares in ſtrictiori clauſura viuentes, ab hac lege Concilium declarat immunes,ſed laicorum ſocietates, quas Confraternitates vocant,legi præfatæ ſubijcimus.

Annuo die celebrationis SS. Corporis Chriſti dicato,ſinguli inmane ad proceſsionẽ conueniant ſub poenis in prouinciali Synodo cõſtitutis, alijſq; arbitratu noſtro infligendis, & vt honor tanto myſterio debitus exhibeatur,præcipimus ſingulis Chriſti fidelibus, vt iuxta Romani Coeremonialis ritus ornentur viæ floribus, ac

fron-

frondibus, circumducti, parietes pro viribus ſericis, vel alterius materiæ veſtibus, induantur, ſuprauenientis coeli aer, lineis indumentis, pro facultate ambiatur, ne quid immundi, vel aereæ impreſsionis, Sacri Chriſti Corporis vaſculum feriat, neque inclementis coeli æſtus, vel æſtas Sacremẽtũ geſtantis Epiſcopi, vel Canonici caput feriat, vtq; omnis euadatur anſa periculi, quoniã Sacramentũ hoc, quod Principem ſibi in Eccleſia Dei, honoris, ac dignitatis vendicat locum, ſumma eſt veneratione colendum; nolumus vt in poſterum obliqua illa via, ac penè inuia, arboribus indiſcriminatim vndequaque interpoſitis conſita, ſaxoſo calle, ac penè præcipiti, qua ad Virginis Annunciatæ Monialium Eccleſiam itur, proceſsio feratur, vbi deficiente populi ſtatione, & pietas deficiat neceſſum eſt, ſed vt per propinquiorem, & hominum habitationi decretam viam, per quã pagum, qui Sirignanum dicitur, ad Eccleſiam Venerabilis Ieſu Chriſti ſocietatis, & inde ad Cathedralem redacta perficiatur, diſtrictè mandamus, contrafacientes excommunicationis etiam poena, & interdicti pro qualitate hominum irremiſibili feriturj; Et ne piæ illæ plantulæ, Deo dicatæ, quas ex mundi illecebris abreptas, clauſtrale viridarium, Deo cultore fouet, ſpirituali, viſendi Sacramenti ſolatio deſtituantur. Volumus, vt feria ſexta ſequenti à Feſto Sanctiſsimi Chriſti Corporis, Præsbyter à ſacrificio monialium, qui & Cappellanus dicitur, conuocatis etiam noſtræ Cathedralis Canonicis aliquibus, quos ad pium opus pietas traxerit Sacramentum ab Eccleſia Sanctiſsimæ Annunciatæ Virginis per vicina, & periculo deſtituta loca deferens, inquè præfatam referens Eccleſiam pro ceſsionem perficiat; Quod pium munus ſuccedentibus diebus, ad octauam vſque aliæ proſequantur Pareciæ, ita vt Sabbatum aſsignetur Ruri Paſtinæ, dies Dominica Paggis ſanctæ Agathæ, & Monticulis; dies Lunæ Torculari; Dies Martis Nerano; Dies Mercurij Termino, & Marciano, Dies autem octauæ de mane Pago Schiazzani, & à Veſperis, vti diximus ad Cathedralem confluant Clerici omnes, ſub poenis ijſdem, quas ſupramemorauimus.

Dies autem generalium ſupplicationum, erunt feſtum ſancti

Marci;

Marci; Tres dies Rogationum, feſtum Sacri Chriſti Corporis, feſtum Aſſumptæ Virginis, & quotieſcumque ob grauem cauſam à nobis præſcribentur, occupationibus interim hominum indulgentes, ſupplicationes indictas pro ſingulis quadrageſimæ Sabbatis, de medio tollimus, in vnum Cinerum, & Sabbati ſancti diem onus hoc deferentes, vt ſacrum Ieiunij tempus à Deo per ſupplicationem incæptum per ſupplicationem etiam in Deo finiatur.

De Clericorum moribus, & vita.

CLericorum ſtatus, quemadmodum Laicorum ordini dignitate præponitur, ſic morum honeſtate, & vitæ ſpectabilitate, vt ſydera in hoc terreno Eccleſiæ Coelo debet præfulgere, hinc eis ſæcularia pertractare negotia aliorum pecuniæ ductu fouere lites clamoſas proſequi venationes bellico manuali tormento inſequi ad internecionem aues, præter canonum vetuſtas leges, hoc noſtro ſub viginti librarum albæ cæræ poena inhibentur ædicto. Et quoniam ab externis corporum veſtibus, animi internas, vt plurimum metimur dotes, ſingulis diſtrictè præcipimus, vt in habitu, & tonſura incedant, à coloratis abſtineant veſtimentis, rubri, viridiſq; ſimiliſq; coloris calceamenta ne deferant, nec perforatis ad pompam vtantur calceis, ſinguli verò Eccleſiæ, cui fuerint adſcripti, in ceſſabili miniſterio famulentur, vt ex vineæ Dei ſedula cultura, tanquam fideles villici laudem à Domino recipiant, & obtrectantis ſæculi, deuoto obſequio, ora oppilentur, & ad maiores in Eccleſia Hierarchia ordines incrementa lucrentur; nec ſine ſuperpelliceis ſacris aſſiſtant, quod & ſacerdotes, omnes cuiuſuis ordinis, & dignitatis in perſoluendis diuinis officijs, & humandis fidelium corporibus vbicunq; exiſtant inrefragabili ſucceſsione ſeruabunt, hoc autem ipſo implebunt opere, ſi ſacerdotes, niſi legitimè impediantur ſingulis diebus ſalutare ſacrificium Miſſæ Deo Patri offerent, Clerici autem in inferioribus gradibus conſtituti, præter certos feſtiuitatum dies, Deo, vel Virgini peculialiter dicatos, ſemel in ſingulis menſibus ſacroſancto ſe ſe altaris pane, charitatis incrementum gignente, depauerint, qua de re ſanum Præsbyteris

 Conſi-

Conſiliũ, Clericis verò præceptũ ad obediẽtiæ meritũ iniungimus.

Singulis etiam in ſpiritualis militiæ ordinem redactis, ſiue Clericis, ſiue Præsbyteris, ſiue in aliquo alio ordine conſtitutis, ſub pœna triginta librarum albæ cæræ elaboratæ, & excommunicationis in ſubſidium, præcipimus, nè extrà Diœceſim, abſque noſtra vel Vicarij noſtri, obtempta in ſcriptis licentia diuagentur, nec liceat, ab hac Diœceſi, quouis, etiam vel ſtudiorum, vel fouendarum litium colore, ſine venia abeſſe, quas tamen abſentiæ cauſas, nos ipſi cognoſcemus, & ſtudiorum ementitum prætextum, ex cognita vniuſcuiuſque habilitudine metiemur.

Decretum VII.

De Examinatoribus.

Parochialibus Eccleſijs præficiendos inſuper, & beneficijs potituros examini ſubijciendos ſacræ Tridentinæ Synodi decretis docemur, quæ ab inde ordinario monet, vt in Synodo Diœceſis præſtantes in hoc munus ſubleuent viros, de quorum ſpectata vitæ, ac doctrinæ ſingularitate, nefas putarint dubitare, nos igitur, qui, vt par eſt monitis concilij obtemperare debemus, nonnullos ad illud oneris euehendos proponimus, de quorum moribus, ac doctrina non vulgare habemus teſtimonium, quos non vanis pollicitationibus, non aura leui, non humano, vt vocant ſpiritu, ſperamus fore flectendos, ſed inculpata integritate, ac ſcientia examinandi munus obituros in Domino confidimus.

Patres autem examini Præfecti erunt v3.

D. Agnellus de Maio Cathedralis noſtræ Archidiaconus.
D. Matthæus Caliſanus eiuſdem Eccleſiæ Cantor.
D. Ioannes Spanus Canonicus.
D. Ioannes Baptiſta Cangianus Primicerius.
D. Ioannes Leonardus de Turri Canonicus.
D. Altobellus Mollus Hæbdomadarius.
D. Ioannes Baptiſta Paſtina Iurium, ac S. Theol. Licentiatus Rector Caſalis Sanctæ Agathæ.

Fran-

D.Franciſcus de Mari S. Th. Prof.Rector Eccleſiæ ſancti Petri de Monticulo.

Decretum VIII.

De Caſibus Reſeruatis.

VT hominum, in peccata procliuior, compeſcatur licentia, pium antecesſorum noſtrorum inſtitutum inſequentes, ſubſequentium peccatorum abſolutionem nobis, & noſtro Vicario, iiſque, quibus delegatam elargiri libuerit poteſtatem reſeruamus; vt hoc etiam impedimento detenti animum miſeri peccantes, à Dei offenſa remorentur.

Caſus ſunt vz.

SAcramentorum,& Sacramentalium abuſus.

Sortilegia, Incantationes, Veneficia, cum tacita, vel expreſſa Dęmonum inuocatione.

Enormis Blaſphemia in Deum, vel Beatam Virginem publica, ve priuata,ex praua conſuetudine.

Falſitatem deducens in iudicio contra reum innocentem.

Sodomia,Beſtialitas, & Vitium contra naturam.

Homicidij voluntarij perpatratio, procuratio,& conſultatio.

Concubinatus ſeruata forma Iuris.

Inceſtus in primo, & ſecundo gradu conſanguinitatis, & in primo affinitatis dumtaxat, etiam ſpiritualis.

Medici accedentes ad ægrotum non cōfeſſum vltrà tertium diem.

Canonicum verò Pęnitentiarium deputamus D.Ioannem Leonardum de Turri Cathedralis noſtræ Canonicum ſingulas cuiuſuis cōditionis perſonis conceſſas,hucuſque de ijs abſoluendi facultates, antiquantes.

Decretum IX.

De Medicis, & Pharmacopolis.

QVoniam experimento docemur,ægrotos,ſiue humanæ ſalutis ſuaſore inimico, vt extremum miſeris in vitæ veſtibulo portēdat exitium,ſiue recuperandæ ſalutis fiducia illectos,

animi ſui cum Deo eorum opifice,& primo ſalutis parente, fędus remorari,& in ſupremum quandoq; habitum,ſacramentalem confeſsionem,diferre,quo fit,vt non modicum, de eorum perditione ſcrupuli in noſtrum animum irrumpat,enixè præcipimus Medicis, iuxta Innocentij III. & Pij V. Summorum Pontificum decreta, & conſtitutiones, ne poſt tertium à prima viſitatione diem ægrotos inuiſere debeant,niſi peculiarem à Paroche facultatem habeât, cuius eſt de animi medicina conſulere, & præceptum idem ad Pharmacopolas deducimus, ne, & ipſi parent infirmis extera, qui interna negligunt medicamenta,quod ſi pium confeſsionis audien dæ munus in ægrotum aliquem à regulari ſacerdote fuerit perſolutum, teneatur idem ſacerdos, ſub pęna ſuſpenſionis ab officio audiendæ confeſsionis de hac re Parochum infirmi admonere, cuius intererit,cætera Sacramenta tribuere.

Decretum X.

De Diuinis Officijs.

ET ſi proprium Clericorum, & Sacerdotum munus in eam debet operam incumbere, vt perpetuis diuinorum exercitiorum obſequijs mancipentur; proindeque quemadmodum inexpleto Dei in nobis ſucceſsiuo gratiarum incremento clementiam patimur,à diuina nunquam laude, & ſupplicatione deficere deberent; exilitatem tamen prouenđuum inſpicientes conſultò Eccleſiæ Patres; ab onere horarum in choro recitandarum Canonicos eximerunt,quoniam nullus ab officio, & labore prouentus emanat,ſeruata incolumi diuini officij recitationis neceſsitate, dum tamen hucuſque particulam, vel leuem diſtributionem ex annuo legato habemus; Rogamus Canonicos vt incæptum Veſperarum concinendarum officium intemeratum ſeruent, in quod onus Cantoratus dignitatem,vniuerſo plaudente Capitulo nouiter ereximus, fore plurimum confidentes in Dño,vt in ſua vinea laborantes, interna motione in piorum hominũ animos excitatos, auctiori mercede, donētur, vt in oneris gratiam,ea creſcēte,onus ipsũ recitãdarũ in choro horarũ,ad alias ſucceſsiuè horas dilatare poſsimus

Vtq;

Vtq; in diuinis officijs, vna, & concors ſit pſallendi voluntas, vnuſque ritus, Kalendarium noſtræ Eccleſiæ præſcribemus, in quo nihil ad hanc curam neceſſarij deſiderabitur, in eoque horum præcipuè ſanctorum officia inſerentur, Commemoratio omnium Sanctorum martyrum, quorum corpora in inſigni Societatis Ieſu Patrum Eccleſia, honorificè ſeruantur Dominica infra octauam Natiuitatis Beatiſsimæ Virginis, ſub ritu duplici, vt in communi plurimorum martyrum; Feſtum ſanctæ Bibianæ virg. & mart. ſecunda Decembris ſub ritu ſemiduplici; Sanctorum Chryſanti, & Dariæ 25. Octobris ſemid. ſancti Fœlicis Papæ, & mar. 30. Maij ſemid. Lucij Papæ, & mart. quarta Martij ſub ritu dupl. ſancti Melchiadis Papæ, & mart. 10. Decembris ſemid. ſancti Philippi Nerij confeſſ. ſub ritu dupl. 26. Maij, ſancti Ignatij confeſſ. Societatis Fundatoris 31. Iulij ſub ritu dup. ſancti Rocchi confeſſ. ſub ritu ſemid. 16. Auguſti, ſancti Eraſmi mart. 2. Iunij ſub ritu duplici, cum octaua, octauæ Viſitationis, & Conceptionis Beatiſsimæ Virginis, Cataldi confeſſ. Pontif. 10. Maij ſub ritu duplici, Conſtantij Epiſcopi, & confeſſ. 14. Maij ſub ritu dupl. Viti, Modeſti, & Creſcentiæ martyrum ſub ritu ſemid. 15. Iunij.

Decretum XI.

De munerum Eccleſiaſticorum obitione.

ROmani Cœremonialis præcepta inuiolata ſeruari mandamus, vt iuncta pietati maieſtas, diuinum opus clariori luce micans reddat, & pari grauitate, graue diuinæ laudandæ bonitatis negotium perſoluatur; Quò circa Magiſtrum, ſiue Rituum, quos, & Cęremonias vocant perfectum inſtituimus Ioſephum de Mari Subdiaconum, cuius intererit, ſędulam nauare operam, vt ne latum vnquam, à præſcriptis à Romano Pontifice mo ibus diſcedatur, is autem vt cælicum extra, præſe zelum ferat, conſueta etiam veſte colorata cingatur, vel ſaltem violati coloris cingulo, eiq; in ijs, quæ ad hanc ſpectare videbuntur operam ſinguli pareant.

Vtq; omnis prætenſæ dignitatis auferatur ſcrupulus in poſte-

rum, De conſenſu fratrum Canonicorum ſtatuimus, vt ſi quando grauem, vel Eccleſiæ, vel noſtram neceſsitatem, ab hac ipſa cura gregis noſtri abeſſe contigerit, certis infra ponendis diebus, quibus noſtrum eſſet ſacra ſolemni ritu, perficere, certæ dignitates, ac perſonæ perficient; ij autem dies ſunt, feſtum Purificationis Beatiſsimæ Virginis; Dominica Palmarum, feria quinta in Cœna Domini, Sabbato ſancto, feria quarta Cinerum quibus Reuer. Cathedralis noſtræ Archidiaconus, ſacra faciat, Dominica Reſurrectionis, & Pentecoſtes, feſtum Viſitationis Beatiſsimæ Virginis, & Natiuitas Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quibus Reuer. Vicarius noſter Gener alis, noſtra vice fungetur in ſacris; Cæteris autem feſtiuitatibus, dum ſacra ſolemni ritu perſolui debent; quales ſunt feria ſexta Paraſceue, feria 2. & 3. Reſurrectionis, & Pentecoſtes; Annunciatio Beatiſsimæ Virginis eiuſque Aſſumptio, Natiuitas ſancti Ioannis Baptiſtæ, feſtum ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, celebritas Sanctorum omnium; Natalitia ſancti Stephani, & ſancti Ioannis, ſacra faciant Dignitates, ſucceſsiua vice, ita vt prima Archidiaconus, ſecunda Primicerius, tertia Cãtor obire munus ſuum intelligatur, quæ omnia nobis abſentibus, ſeruanda dumtaxat præcipimus; præſentes ſiquidem nos ipſi, diuino fauente præſidio, Deo immolabimus, vel pro libertate immolari à certa dignitate iubebimus. Decretum hoc idem ad ſupplicationes Sanctiſsimi Chriſti Corporis extendimus, ita vt nobis abſentibus ipſo die ſacro, Chriſti Corporis ſacro, Archidiaconus Sacramentum deferat, die verò octauo eiuſdem celebritatis, Primicerius nobis autem præſentibus, ipſoque ſolemni die Sacramentum deferentibus, munus ſuum Archidiaconus octauo die perſoluat, iuxta Cœremonialis eiuſdem ritus, vt diſtinctiori methodo, ſacris Altaribus debitum præbeamus obſequium, Canonicorum ordines bipartiri decreuimus, in Sacerdotes, ac Diaconos, ita vt iuxta receptionis ſuæ tempora primi Sacerdotes, quorum autem poſtremi Diaconi, ſiue leuitico fungantur officio, quorum erit in munere Nobis ſolemniter celebrantibus aſsiſtere.

Obſer-

Obſeruanda à Parochis circa Contractionem, Matrimoniorumq; fidem concedendã, vtq; ab omnibus, etiã Rudibus ſciantur, in vulgari ſermone præcipit ſignificari.

IN primis, per qualſiuoglia fede di Matrimonio contratto infra annũ grana 10. vltrà annũ gr. 15.

Per ogni fede di morti ſepelliti, ò di Confirmatione de 10. anni à baſſo grana 10. da dett'anni in sù grana quindici.

Per ciaſcuna fede delle publicationi di matrimonio, ò de ordini grana diece.

Nell'eſplorare la volontà delli matrimonij contrahendi, ſe ſi eſplora nella Chieſa gratis, ſe ſi và à farre in caſa grana diece.

Per la contrattione del Matrimonio, ſe ſi fà in Chieſa gratis, ſe ſi fà nella caſa per l'acceſſo vn tarì.

Per la benedittione del Matrimonio vn tarì, e la Meſſa ſe l'applichi il Sacerdote per ſe.

Decretum XII.

Obſeruanda circa funeralia paruulorum.

PEr ogni corpuſcolo de anni ſette à baſſo vn tarì, da ſett'anni in sù carlini quattro, & mezzo, con interuento del Procuratote, & Croce, ſaluis iuribus del Patino che ſi laſcia da quelli, i quali ſono in eta di ſare il teſtamento, & ſaluis iuribus, della foſſa, & campane, doue ſi pagano.

Quæ decreta ad Dei laudem, & gloriam in hac noſtra prima Diœceſana Synodo decreuiſſe ſatis ſit.

Et rogata Synodus an placerent dicta decreta reſpondit placet.

FINIS.

EDICTVM
PRO CONGREGANDA SYNODO.

FR. MAVRITIVS CENTINVS Aſculanus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Maſſæ Lubrenſis vniuerſo Clero, & Populo Maſſenſi, Salutem in Domino.

MAGNI Cœleſtis medici, qui, vt infirmam noſtræ mortalitatis naturam peccati merito vulneratam ſalubri effuſi cruoris medicina curaret, ex paterno beato ſinu delapſus, neque tamen cœlorum deſtituens ſedem inhumanari dignatus eſt; eius, & Sanctæ Romanæ ſedis clementia licèt immeriti, vice ſungentes in hac Maſſenſi Ciuitate, ſubiectiſq; ruribus, ac Pagis poſt expletam Eccleſiarum omnium, & vniuerſi Cleri uoſtræ curæ ſubiecti, localem, ac perſonalem vt vocant viſitationem, quod dum munus obiremus, non pauca, quæ ad Chriſtianam, cleri eiuſdem reformationẽ ſpectant, in diuini profunduntur honoris cultum, vel infirmitate collapſa, vel vetuſtate vulnerata, & clericos ipſos non paucos, quos imitabatur, & populus a via diuini cultus pauliſper deuios, & in Eccleſiaſtica diſciplina otioſo tabo torpentes, non ſine incredili animi noſtri mœrore, oculis hiſce conſpeximus, iuxta ſacri Concilij Tridentini decreta, Diœceſis noſtræ Synodum conuocare decreuimus, qua, & collapſa reſtaurare, & vulnerata curare, & deuios in viam reducere, & ſuſcitare torpentes, ex iniuncto nobis Paſtorali munere, Deo auxiliante, poſſemus.

Hoc igitur præſenti, quod appellant ædicto, in Valuis Cathedralis noſtræ affiggendo, nè cuipiam ſit ignoratæ noſtræ voluntatis exſcuſationi ſuperſtes locus, tam Clericos cuiuſcumq; conditionis, & gradus, qui Synodo intereſſe, de iure tenentur, quam laicos, quorum intererit,

tererit, vocando monemus, vt die 29. Septemb. Dedicationi Archangeli Michaelis ſacro, ad Cathedralē ſummo mane cōueniant, quo die, poſt imploratū diuini ſpiritus auxilium, Diœceſanā Synodū celebrabimus, opportunā laturi, animarum, & ſpirituali populi, & cleri regimento ſalutem. Sanè cęleſti factum eſſe conſilio credimus, quod hoc menſe in hanc operam ſedula mente incumberemus, quia menſis hic, ille eſt, qui a ſeptinario numero nomenclaturam trahens ſeptinarij etiam numeri perfectiones feret. Menſis hic ille eſt, quo congregatis terræ fructibus ſub vmbraculis habitantes, ferias Domino litabant Hæbrei; & nos coaceruatis in hanc Eccleſiæ aream animi fructibus, ſub vmbra illius, quem deſideramus ſedentes, liberiori, ac ſanctiori mente, corda noſtra Deo immolabimus; Menſis hic ille eſt, quo natalia mundi venerabantur Hæbrei, & nos vberiori fructu, ſpiritualis animi natalia venerabimur. Menſis iſte ſeptimus, Leuit. 23. erat expiatione populi celeberrimus, & is noſtrarum depuratione mentium, ſucceſſiuo temporum labentium decurſu; immortali laude celebrabitur. Octauus iam labitur annus, quo Synodo neglecta, ſpirituale hoc pabulum eſuriebant animi, coelicum hunc rorem ſitiebant populi at nunc Deus ſub octauo Principe, ſancta ſcilicet perfectionis arbitro, & parente, nos vocat venite, & comedite, & ſitientes venite ad aquas. Venite igitur dilectiſſimi, & quæ Præſulatus noſtri cura nos admonet, proponenda ſuſcipite, nec ampliorem expectate munitionem a nobis, contra monita præſentis vocationis negligentes, pęnis a iure ſtatutis, alijſque arbitratu noſtro innaſuri. Datum Maſſæ Lubren. die quarta Septembris 1626.

Fr. Mauritius Centinus Epiſcopus.

Locus Sigilli

D. Altobellus Mollus Secretarius.

ORATIO HABITA A R. D. IOANNE BAPTISTA PASTINA

Ante celebrationem Synodi Maſſenſis.

ET ſi multa ſunt, Illuſtriſsime Præſul, & viri ornatiſsimi, quæ Tridentinum Concilium eo afflatum ſpiritu, quo totum Eccleſiæ Corpus, Chriſtus animat, vt prudētiſsimè poſt hominum memoriam Chriſtianæ Reipublicæ malis mederetur ſingulari eiuſdem Seruatoris noſtri beneficio, inſtituit, nihil tamen vtilius, nihil opportunius ab eo pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeueritate reſtituenda ſancitum eſt quam annua Synodorum celebritas, quæ cum in orthodoxo Apoſtolorum ſenatu orta ab aureis Sanctorum Patrum temporibus incrementum habuerit, nihilominus à ſuperioris ætatis erroribus labefactata, ac penè deleta iacebat. Equidem ſi à ſummis Principibus, ſi à ſanctiſsimis Epiſcopis, ſi a Præfectis Achademiarum omittatur ea conſultatio, quam per multa rectè perpenſa ſapientum reſponſa in medium collata pariunt, corruet, me Hercle aut temporum iniuria, aut callidis petulantium ingeniorum cauillationibus cuiuſcunque Reipublicæ, optima, vetuſtiſsimaq; inſtitutio. Enimuero cum ad ſummum bonum propenſiſsimus animus noſter ſummi Dei immortale ſimulacrum ea voluntate conſtet, quæ humanarum virtutum licet ſit Princeps, & moderatrix de ſe tamen cecutit, eoque intellectu polleat, qui veritatis ſolertiſsimus indagator, orbæ illi Reginæ fideliſsimus Conſiliarius aut expetenda, aut reſpuenda ſuggerit, meritò nè omni

ni aura doctrinæ circumferamur, ne ab vltimæ beatitatis meta aberremus ſedulo examinanda ſunt media ad hanc optatiſsimam fælicitatem accomodata, Et profectò vt humana lingua abſque prudenti conſilio ſæpe inopinatos conceptus abortiuam mentis ſobolem enititur, ita menti noſtræ ſenſibus veluti inuolucris, ac meand is irretitæ, operepretium eſt; nè temere, ne imprudenter agat, ad iudicandum inquiſitio, electio ad deliberandum, conſultatio ad imperandum. vos autem eruditiſsimos viros latere non crediderim quoties Homerus ad concilium vocantem Deos, eoſque gradatim propriam enunciantes ſententiam introduxerit. His præſertim ſacroſanctis Comitijs magnus Carolus ſacræ purpuræ decus immortale galeri ornamentum, ac Præſulum Cœleſtis Idea non modo Inſubres, Fluctioſque pugnaces finitimos infenſis fidei hoſtibus omninò expertes ab hæreſum graſtante labe ſeruauit; ſed in cauſa potiſsimum fuit, nè Luterana, ne Caluiniana Herinnis à nemoribus Pireneorum montium, & ab Aquilonis antris iuxta Prophetæ vaticinium exhiliens in ipſius Italiæ ſacra viſcera irruperit, & penetrarit. Quid enim accomodatius eſſe poterit, aut ad reformandos mores, aut ad Religionis ſinceritatem tuendam, & ipſius Religionis Comitem, & ad miniſtram Cœremoniarum rationem retinendam, quam ſapientiſsimus huiuſmodi Patrū Conuentus? Cùm verò æquiſsimum ſit ſacros Proceres, quibus in profundo huius ſæculi æquore clauū vitæ noſtræ regendum tradidit Deus, ſibi ante oculos nauticam illam tabellam proponere, quæ tutiſsimas vias ad beatitudinis Portum perducentes, pietas oſtendat, prudentia quidem pro Acu magnetica ab illis tenenda eſt, Conſultatio verò pro nautica tabella. Imperent, inquam Philoſophi, philoſophentur Imperatores; Iure igitur optimo, Paſtor vigilantiſsime, non minus animi ornamentis, & morum candore, quàm dignitate Illuſtriſſime, quo primum tempore ad ſacrum huius Eccleſiæ apicem meritis tuis longe imparis, ſed purpuram, & Romanos faſces tibi feliciter auſpicantis ipſa etiam inuidia plaudente, aſcendiſti op-

ratiſſimus, vt diſciplina ſeuerior in ouibus tibi diuinitus commiſſis, delapſa iam reſtitueretur de hac Synodo celebranda excogitaſti: Cui porrò iuxtorum Concilio ſpiritum Dei opem allaturum ſperemus, PP. ampliſſimi, qui in medio duorum, aut trium de pietate differentium, ſe pollicitum eſſe adfuturum ſacra librorum monumenta tradunt, Et cum tanti ſit ponderis huiuſmodi Conuentuũ dignitas, vt quæ in illis iubentur, (ſaluo ſemper, Romani Pontificis ſummo in Terris iudicio) ſint iura ſanctiſsima, pro comperto habendum eſt, illud fore opportunum, ac ſalutare omnibus Eccleſiæ Maſſenſis neceſsitatibus conſilium, quod tot ornatiſsimi viri propoſuerint, quod religioſiſsimus Antiſtes ſuo Imperio comprobauerit.

Immortales igitur gratias Deo primum, à quo cuncta bona promanant, reddamus, Auditores, poſtmodum Sanctiſsimo Vrbano Vicedeo, Vrbis, & Orbis arbitro, Pontifici Maiori maximis meliori optimis, qui noſtræ penè labenti Reipublicæ virum ſereno vultu exhilarantem ciues, è virtutibus, omnigenaque ſcientiarum eruditione benemeritiſsimum in Præſulem in Ducem, in huius Templi miſticum Cirum præfecerit, & Atletam. noſtra interim Pallas, quæ verendum huic Vrbi nomen non fabuloſa detulit, dum diutiſsimè (ſic faxit Deus) optimo Męcenate nouis muneribus, & dignitatibus aucto fruetur Vllo vnquam tempore, plaudendo, ac gratulando finem faciat. ſed præſtat ingenioli mei male inſtructam carinam ex immenſo iſtarum laudum Oceanò eas reticendo conſulto retrahere: nè vel vaſtiſsimis fluctibus demergatur nè vel adulationis ſirtibus frangatur.

Ad vos igitur ſermonem dirigam, PP. ampliſsimi, æquiſsimum eſt, vt quemadmodum omnium ordinum mores, non ſine incredibili animi mœrore diſſolutos, & cõtaminatos in hac Republica in hoc vt verius, inquam, miſeriarum angulo perſpicimus; ita ad Euangelicæ ſinceritatis normam omnes Chriſti fideles, ſacerdotes præſertim, qui cæteros ſapientia, & integritate antecellere debent à veſtra cenſoria ſeueritate dirigantur, & coęquentur.

Pro-

Profecto hos exitus, hos, & vberiores fructus à veſtra ſingulari pietate, & prudentia Deo Optimo Maximo in primis Auctore,& Duce ſanctiſsimo Antiſtite procul dubio expectandum eſt, in hanc cauſam enixè, & toto pectore incumbite,in id omnes curas, conferendum, neque incomodo parcendum, vt perditiſsimi homines, qui poſt effrenatorum ſenſuum fœda veſtigia ad Tartara (Satana viam commoſtrante)magnis itineribus pergunt,tenaciſsimo freno coerceantur venenoque lætali; Quod eorum animis à peſtifero Auerni Dracone diffuſum, longe lateque ſerpit, medicina cæleſti, & ſingulari antidoto ſuccurratur.

Ehu quot Clerici Triclinijs potius, quam Templis nati, Toris melius, quam Aris inſtructi ad collapſum vitæ candorem veſtra ſalutari cenſura reuocandi ſunt? Quomodo Sacerdotes ij, qui venaticos Canes, & accipitres more Eſau libentius, quam Chriſti pauperes nutriunt, frequentiuſq; cruentam commilitonum vitam ſectando, æreas fiſtulas, ſagittas, arcus præ manibus habent, quam cœleſtem illum librorum Theſaurum nobis à Patre luminum commendatum, quomodo inquam dignitatis ſibi diuinitus attributæ memores eſſe poterunt? quorum ſacerdotali maieſtati peſſundatæ, & penitus conculcatæ conſulent? grauitatemque illam Euangelicam conſeruabunt? ſi veſtra conſilia torpeant? ſi veſtra ſeueritas deſideretur Vos equidem Deus ſapientiſsimus omnium donorum impartitor huius præclari muneris functioni ideo prætulit, vt templorum ornatus poſthabitus, & ſanctorum cultus neglectus ad priſtinum reuocetur decus, vt Sacramentorum, & ſacrificij piorumque parentalium ritus, & cærimoniæ abſque vlla auaritiæ ſuſpicione, ſacro candori, & congruentioribus Romanæ Eccleſiæ regulis coęquentur ſacrarum verò virginum diſciplina vigeat,& publice peccātes coram omnibus coarguantur. Verum enim verò nemini veſtrum competiſsima non eſſe arbitror, vtinam, vtinam laterent,quot diſsidia,rapinæ,cædes,impietates,ſtupra,cæteraq; facinora magis ſilentio,& lacrymis,quam memoria digna varijs

Sata-

Satanæ artibus in hac miſerrima Ciuitate quotidie baccetur, & augeatur. Et vſquequo Clerus, Clerus inquam labentis populi firmiſsimum columen, & tutamen peccantium ſingulare præſidium, errantium lux, proh dolor, partim ineptiæ tenebris, partim deliciarum ſomno ſepultus iacebit? me miſerum, iacet & impudens ad templum venit, & ſacris Aris miniſtrat; & adhuc miramur vbique pericula, vectigalia, famem, ſqualłorem, publicanos, lacrymas, vbique plurimas graſſari mortis imagines.

Propter nos, propter nos orta eſt hæc tempeſtas; Populus enim vt ab vno Orbe cælorum motus, ita à ſacerdotum vita regitur, & gubernatur. Noſtræ integritatis diſſolutio quantam attulerit pietati iacturam, quantum religioni detrimentum, & rationibus experientiaq; docemur, & Prophetarum admonemur oraculis. Sic Oſeas vaticinatus eſt. Conticuit Populus meus eo quod non habuerit ſcientiam, quia ſi ſcientiam repuliſti, repellam te, nè ſacerdotio fungaris mihi, & erit ſicut Populus, ſic ſacerdos.

Ante veſtræ mētis lumina fingitæ religionē, & hanc Eccleſiā Chriſti ſponſam, quæ peccantis Populi ſcelera ſtomachantes luctu mœroreque confectæ dilaniatiſque comis, in vos dulciſsimos filios, egro, & coſternato animo oculos lacrymis madidos conuertant. A vobis ſacram anchoram expectent, à vobis ſuo naufragio tutiſsimum portum efflagitent; ecquis veſtrum per Deum imortalem illis in vaſtiſsimo mari fluctuantibus præſidium non afferat? quis lictore eiectas ſereno vultu, verbis perquam blandiſsimis non conſoletur? veſtrum eſt onus harum innocentium virginum tutela, & patrocinium, non eorum, qui cupiditatibus indulgendo cœleſtem animum ſenſibus pendulibus inſeruire non erubeſcunt, nefarijs ſubiacere vitijs non indignantur; ſic vobis adſtandum eſt ornatiſsimi Patriæ Patres, & oracula, laboranti ac penitus corruenti Reipublicæ, vt Deum, Deoſque tutelares, & optimum Antiſtitem duces ſectando; eam, ſi ſtet, feliciter Confirmetis, ſi corruat, fortiter, erigatis, natura vos ita miſericordes, vt religio ſeueros, dignitas, ita

pios

pios, vt Reſpublica graues efficiat. Quid enim vobis tam commune, quam erga proximos charitas? Quid tam ſingulare, quam erga rebelles animaduerſio? Vos namq; dum ſeruando quamplurimos Dij eſtis, nihil habet ordo veſter maius, quam vt valeatis, nihil habet natura glorioſius, quam vt velitis ſalutem afferre quamplurimis.

Audite hæc omnes Dei miniſtri, auribus percipite, qui regitis Orbem, Cum omnipotentis Dei animata templa ſint ſacerdotes, non à vobis inanibus auri ſimulacris, non propriæ excellentię idolis in eis litandum eſt, procul, ò procul eſte profanę voluptates ſæculi gloria, mundi illecebrę. Quid enim aliud iſta ſunt; quam Terrę fex, vermium eſca, gehennę pabulum; ſermonem fortaſſe longiorem cauſa poſtularet, ſed veſtra benignitas paucis perſuadẽda eſt. Quare vela contraham, vnum tamen vos etiam atque etiam obſecro per intolerabile Chriſti futurum Tribunal, vt ſi carnis momentaneis voluptatibus, ſi ſęculi pompis ab incunte ętate reiectis: ſacræ militię Spiritu ſancto Duce aſcripti eſtis; ei toto animo, totis viribus, ſic libenter, ſic alacriter inſeruiatis: vt in colluptatione, quam aduerſus Rectores tenebrarum gerimus: magna cum animi fortitudine, & fęlicitate, rebus bene geſtis, non tantum vos metipſos, ſed cęteros oues, quos Chriſtus acquiſiuit ſanguine ſuo, à cruentis orci Luporum faucibus ereptos, ad ſempiternum ouile poſt huius vitæ curſum veſtris humeris perducatis, & immortales triumphos è debellato Herebo hoſtium ſpolijs inſignes in Cœleſti Capitolio reportetis. Dixi.

1
e
40

VA1 1528350

162
B
29

BI
VITT.
16
N
Digitized by